IN FVNERE

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPIS

D. MARCELLI

S. R. E. CARDINALIS

D E A S T E

EPISCOPI ANCONITANI

O R A T I O

HABITA AB ADMODVM R. P.

ANTONIO LIZZOLIO

S O C I E T A T I S I E S V

IN CATHEDRALI ANCONITANA ECCLESIA

Die 26. Iunij anni 1709. dum a Reuerendiſſimo

C A P I T V L O

SOLEMNES EXEQVIÆ CELEBRARENTVR.

ANCONÆ, Apud Matthæum Mancinellum Impreſſorem S. Officij.
M. DCCIX. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

ABſtergerem hodie quàm libenter lacrymas illas, quas in acerbiſſimo hoc funere Eminentiſſimi Noſtri Principis MARCELLI Cardinalis de Aſte, omniũ ex oculis æquiſſimus dolor, non tam elicuit, quam imperauit, ſi ratio vlla, aut alicuius ponderis cauſa occurreret, qua altè infixum animo dolorem temperarem. *Sed* vndenam moderandi noſtri luctus argumenta deducam, ſi vndecumque ſeſe offerũt grauiſſimæ cauſæ mæroris, & lacrymarum? Amiſiſtis Auditores Patrem *Patriæ* veſtræ amantiſſimum, amiſiſtis Eccleſię huius veſtræ vigilantiſſimum Paſtorem: Amiſit Roma Purpuratorum Patrum ſingulare Ornamentum; Amiſimus omnes Principem, cuius ſapiẽtia optimæ quotidie leges inſtituebantur, cuius prouidentia difficillimis *hiſce* temporibus Vrbis huius incolumitas ſtabat, cuius profuſa in omnes beneficentia priuata ſimul, & publica infortũnia arcebantur. Quis non doleat mortem, quæ tot nos commodis priuauit? quæ vno ictu omnium animos vulnerauit, omnium ſpes, omnium penè dixerim fortunas funditus euertit, & profligauit? Verùm tot inter iuſtiſſimi doloris cauſas; vnum ſupereſt hodie mihi concepti mæroris leuamen, quod meritiſſimi noſtri Principis interitu ſublatum tandem video graue illud mandatum, quo eximia eius modeſtia, quantò ad laudabilia quæque præſtanda magis intenta, tanto magis ab omni laude abhorrens, oratorum quorumcumque linguas in ſui Encomia diſcurrere quàm ſtrictiſſimè prohibuerat. Poſſumus hodie, poſſumus ſecuri illas virtutes publica laudatione recolere, quas ſolo licuit hucuſque ſilentio venerari: Poſſumus eximia illa animi decora in medium proferre, quæ ſingularis eius moderatio intentiſſimo ſemper conatu ſtuduit occultare. Verum ne me hodie ipſa meritorum opprimat ſeges, ne ipſa me laudum copia confundat, omnia ad vnum velut caput reuocans, illud hac mea funebri Oratione monſtrare contendam, MARCELLVM Cardinalem de Aſte ad ampliſſimos honorum gradus ſuo meritò euectum, talem ſe in omnibus præſtitiſſe, vt abſolotiſſimum virtutum omnium Exemplar oſtenderit.

In triplici honorum gradu conſtitutum MARCELLVM Orationis huius meæ decurſu ſpectandum propono: Vel quando Romæ ille Preſul, plura, eaque grauiſſima obiuit munera, vel quando Apoſtolicus Nuncius, & de Latere Legatus, exteras regiones inuiſit, & Eccleſiaſtici Status Prouincijs præfuit, vel quando Epiſcopali gradu, & ampliſſima Sacræ Purpuræ dignitate donatus, commiſſam ſibi rexit Eccleſiam; Et in his omnibus, quamuis difficillimis, & inter ſe tam diuerſis muneribus ſimilem ſemper, paremque ſibi, abſolutiſſimum ſcilicet virtutum Exemplar demonſtrare omni ſtudio conabor.

Et primo quidem; En vobis auitæ, lectiſſimæque nobilitatis Iuuenẽ, vix è Clementino Collegio, quaſi è ſinu Palladis egreſſum, liberalibus Diſciplinis, & Philoſophicis, ac Theologicis præceptis inſtructum, vultus modeſtia, oris verecundia, ſermonis elegantia, & incredibili morum Innocentia omnium in ſe oculos conuertentẽs, omnium animos in ſui amorem, & admirationem prouocantem. Nõ uerat tunc etiam dum Romæ lagalibus ſtudijs vacaret; liberiore, hominum conuentus vitare, ſolidiori ſtudere pietati, ſacras Ædes, & priuata Oratoria adire, ex imiàque morum honeſtate inipſo Iuuentutis flore, illis proludere virtutibus, quæ grandiori Ætate ſplendidiſſimis honorum titulis eum erant exor naturæ.

Et ſanè latère diù non poterat tantus virtutum fulgor. Peruènit quã primum ad aures Sanctiſſimi Põtificis INNOCENTII XI. Iuuenis tam egregiè in omnem Modeſtiæ, ac Pietatis formam compoſiti notitia, idemque fuit MARCELLVM ſemel alloqui, atque agnoſcere, ac illum in Romanorum Præſulum numerum adſcribere, grauiſſimas ei cauſas committere, maioris momenti negocia commendare, quæ omnia tanto ſtudio, tanta diligentia, tam ſapienter, tam feliciter expediebat MARCELLVS, vt breui totius Romanę Curiæ plauſus promeruerit. Incredibilis erat ad eum populorum confluentium concurſus, vt diuturnas lites componeret, implicatiores difficultates reſolueret, quod ille tanta ſemper ſapientia, tanta partium inter ſe diſſidentium concordia exequebatur, vt Purpuratus quidam Princeps ſæpe auditus ſit dicere: Qui litium ſuarum expeditam, abſolutamque victoriam expoſceret, eas componendas, & decidendas deferret MARCELLO de Aſte, cui & ad intima cauſarum penetranda Ingenium, & ad rationum momenta ponderanda ſapientia, & ad ſuum cuique ius tribuendum Æquitas, & ad omnes animorum Æſtus ſedandos omnium virtutum Chorus feliciter ſuppetebat.

Tan-

Tanto plauſu excepta , tanta omnium commendatione , tanto animo-
rum conſenſu celebrata laudatiſſimi *Præſulis* Virtus , debuerat ſplē-
didioribus honorum titulis exornari. Statim atque ſupremum Eccle-
ſiæ Regimen tenere cæpit ALEXANDER Octauus, prima, & præcipua
initij eius Principatus cura fuit, MARCELLVM in id muneris aducere , vt Apoſtolici Palatij , imò totius Chriſtiani Orbis grauiores cauſas ſupremus Auditor cognoſceret. ALEXANDRI deceſſoris cōſilium nouo nō multo poſt cōfirmauit actu INNOCENTIVS eius nominis appellatione Duodecimus , quando *Præſulem* meritiſſimum , iam Archiepiſcopali Athenarum titulo donatum ſacro Cætui , cui Epiſcoporum , & *Regularium* cauſas tractandi peculiare munus incumbit, Secretarium præfecit. Quānta , Deus Immortalis, in his grauiſſimis muneribus obeundis præfulſit ſemper MARCELLI Virtus, & Sapientia! Quanta in negotijs per tractandis dexteritas! Quanta in controuerſijs componendis Prudentia! Loquantur tot ab eo feliciter expeditæ grauiores cauſæ , tot inter diſſidentes partes compreſſa Iurgia , tot ad noua litium ſemina comprimenda excogitata remedia . Loquatur Roma , quæ toties admirata eſt Præſulem florentis adhuc Ætatis , in tanto honorum culmine collocatum , tanta morum prælucere Innocentia , vitare turbas , amare ſeceſſus , colere Æquitatem , pietati inſiſtere ; & tanta curarum , & negociorum mole occupatum , horas tamen complures Sacrorum Librorum lectioni , cœleſtium rerum contemplationi , & quotidianæ Templorum viſitationi impendere .

Sed quid diutius Romæ moramur , Auditores ? non adeo mirum fortaſſe videbitur , cultorem ſe ibi Virtutis profiteri , vbi virtus ipſa imperat coronata , vbi talia exercentur miniſteria , quæ ita virtuti famulantur , vt cognationem quamdam contrahant cum Virtute. Illud ſanè arduum eſt , illud inſolens, atque mirandum , impenſius ibi virtutes colere , vbi vitia debaccantur , & vbi forenſium cauſarū ſtrepitus , & aſſiduus negociorum concurſus , animum à cultiori Pietate, vel auocant, vel auuertunt. Intuemini MARCELLVM vel dū apud Heluetios Apoſtolicus Nuncius , terras illas , quà hæreticis cōterminas , quà hæreſum labe infectas ſuarum Virtutum radijs illuſtrat. Vel dum Vrbini primò Præſes , mox de Latere Legatus renunciatus , Prouinciam illam inter cæteras Pontificiæ Ditionis nobiliſſimā ſuo regit Imperio . Quis eo fortior , atque conſtantior ad ſcelerū, ſcelerum vè magiſtros inſectandos , atque perdendos ? Quis eo aman-

tior

tior ad inſontes, ſubiectoſque ſibi Populos complectendos? Quanta eius erga omnes humanitas! Quanta in periculis præuidendis, & remouendis vigilantia! Quanta in comparanda vbique, & ſeruanda rerum omnium copia admirabilis Prouidentia! Viuit adhuc, æternumque viuet in Heluetia, finitimiſquè Gentibus, Vrbini quoque, & Piſauri memoria MARCELLI egregijs facinoribus,& præclariſſimarũ virtutum Exemplis omnium animis inſculpta, atque impreſſa, omniumque linguis peruulgata. Hic dum moratur ſapientiſsimus Præſul, commiſſamque ſibi prouinciam non tam Imperio, quam humanitate, conſilio, & vigili ſemper Prouidentia moderatur, ac dũ rerum humanarum pertæſus, & cœleſtium amore captus, ſecum ipſe meditatur, abdicatis honorum titulis, ac prouentibus ſe in priuatum Oratorium recipere, & ſoli Deo vacare; Excipit repentè ab Vrbe Nuncium, quo ex improuiſo edocetur, ſe à Duodecimo INNOCENTIO ſacra Purpura donatum eſſe;& Anconitanæ Eccleſiæ regimini addictum. Obſtupuit ad inſperati Nuncij aduentum MARCELLVS, miratuſque vehementer eſt, ſe ab honoribus quæri, qui ab illis tam procul vitabundus abiret. Quàm benè modeſtiſsimo Principi præclariſsimum illud aptari Elogium poteſt, quo Antiſtitem Sanctiſsimum Honoratum, Diuus olim exornauit Hillarius. Refugam ſuum Iuſula nectit, & quia venire ad dignitatem dete ctauerat, ad ipſum dignitas venit.

Sed tempus iam tandem eſt, Auditores, vt Purpuratum noſtrum Principem ad nouam ſibi deſtinatam ſedem properantem ſequamur. Ea vidimus huc vſque,quæ de MARCELLI Virtutibus fama retulerat; ea, quæ longè ille à nobis conſtitutus, egregiè vbique, fortiter, ſapienterque geſsit. Illa nunc iuuat ſpectare, quæ noſtris ipſi oculis luſtrauimus, quæque per Vrbem hanc incedentibus ſeſe adhuc hodie vltrò ſpectanda obijciunt. Vix Anconitanæ Eccleſiæ conſtitutus Antiſtites Purpuratus Pater, eam ſibi, moribuſque ſuis exprimendam celſioris Virtutis propoſuit Ideam, quam admirata olim fuit Alexãdria in Athanaſio, Cæſarea in Baſilio, Bizantium in Chryſoſtomo, Mediolanum in Carolo. Hanc vt feliciter aſſequeretur, quatuor potiſsimum adhibuit Virtutes, Religionem videlicet in Deum, diligens animarum ſtudium, eximiam in Pauperes Charitatem, & profuſam erga omnes Beneficentiam. His artibus inſtructus, his præſidijs munitus MARCELLVS,tam abſolutè cõceptam in ſe formam virtutis expreſsit, vt antiquioribus Eccleſiæ Patribus planè ſimillimus videatur.

Et in

Et in primis quidem, quanta eius fuerit in Deum Pietas, & Religio, teſtantur ſingularis illa reuerentia, animique ſuauitas in ſacro quotidiè vel faciendò, vel audiendo; crebra, eaque prolixa Chriſti Domini in Euchariſtia latentis viſitatio; ſitis illa ardentiſſima ſacra de Deo, vel cum Deo colloquia habendi; horæ complures vel diuturnis negocijs, vel nocturnæ quieti ereptæ, & ſacrorum codicum lectioni; rerumque Diuinarum contemplationi attributæ. Teſtantur obſequioſa illa erga Dei Matrem Pietas, frequens ad eius Ædem Lauretanam acceſſus, ſuauiſſima, eaque aſſidua erga acerbiſſimos Chriſti Domini è cruce pendentis cruciatus commiſeratio. Hac duce, hac Magiſtra, ad illud deuenit MARCELLVS Heroicæ Patiētiæ culmē, vt atrociſſimos viſcerum Dolores, quibus vehementiſſimè cruciabatur, ad vltimam vſque vitæ Periodum, non ſolum fortiter, & conſtanter, ſed quod mirum eſt, hilari ſemper, & lætanti animo pertulerit, ita vt heroicam hanc noſtri Principis Virtutem ad vmbraſſe videatur Diuus Petrus Damianus, vbi ſcripſit: Cum tali ardore cruciaretur, ipſe ſuis doloribus paſcebatur.

Ex hoc ardentiſſimo Diuini Amoris igne, quo æſtuabat MARCELLVS illud oriebatur acerrimum ſtudium, quo de communi hominum ſalute angebatur; Huc præcipuę tendebant vigilantiſſimi Paſtoris curæ, huc cogitationes omnes ferebantur. Quot illæ Artes, quot noua ſemper excogitauit inuenta ad vitia propulſanda, ad virtutes in ſuo Grege excolēdas! Huc ſpectant tot ad ſacros Curatores, & Cōfeſſarios pro ſuo munere ritè, ſanctequè obeundo, ad parentes pro familia rectè inſtituenda, ad omnes pro ſua vita iuxta normam Diuinæ Legis componenda tranſmiſſa vtiliſſima monita, & præcepta. Debemus ſedulæ Noſtri Principis curæ tam benè in Chriſtianæ Doctrinæ Elementis inſtitutos rudiores quoſque de plebe, Pueros ipſos, atquè Puellas Debemus inſtauratam Sacrorum rituum Diſciplinam, auctamque ſacris locis reuerentiam, Altaribus cultum, Deo denique, ſuperiſque omnibus obſequium. Quoties vidimus Purpuratum Principem Chriſtianæ Catecheſi præſentem, rudiores interrogantem, & humaniſſime inſtruentem! Quoties audiuimus eum vel è ſuggeſtu, vel è priuata ſede, vel ex altari Populo verba facientem, omnes edocentem, omnes ad ſolidæ Pietatis amorem incitantem! Sed parum Principis amantiſſimi ſtudio videbatur vnicæ ſui gregis ſaluti conſulere, voluit ad exteras quoque gentes, Dei notitia vel carentes, vel abutentes Apoſtolici ardoris ſui flammas extendere. Hinc

accedentes hus Græcos Schiſmaticos, aliosque ex Oriente Populos ſumma humanitate excipere, donis etiam cumulare, vt hiſce Beneuolentiæ argumentis captos Catholicæ conciliaret Eccleſiæ. Hinc Epiſcopis quibuſdam inter hæreticos, vel infideles verſantibus ſacras veſtes ſuppeditare, pecunias elargiri, vt alacriùs, & commodiùs in commiſſæ ſibi Vineæ culturam inſudarent: Hinc Iudeorum conuerſioni omni cura inſiſtere, è quibus aliquos noſtræ fidei Miſterijs imbutos, ſua ipſe manu Sacro Fonte luſtrauit, & erogata largè pecunia, ſecurò in loco collocauit, Sed leuia iſthæc fortaſſe videountur, Auditores, ſi alterum, & nouiſſimum ſtudioſiſſimi Antiſtitis inuentum retulero. Præteritis nuper menſibus, iuſſit ille, quot ſibi ſuppetebant argentea vaſa, ne vno quidem ſibi ſeruato, omnia Romam comportari, vt venderentur, & ex redacta inde Pecunia annuus reditus inſtitueretur, quo in Romano Collegio de Propaganda Fide duo Iuuenes educarentur, qui poſtmodum ad exteras Regiones dimiſſi, barbaras quaſcunque gentes Euangelicæ Fidei documentis excolerent. O virum communi omnium ſaluti natum, de quo prædicari meritò illud poteſt, quod de Maximiano Cęſare ad aſſentationem magis, quam ad veritatem iactabatur: Dum te eſſe in conſpectu putamus, iam de te longiuqua miracula audimus, Cum ſplēdidiſſimi ſolis inſtar MARCELLVS, quamuis huic cœlo affixus, ad omnes terræ Plagas, omneſque gentes Beneficentiæ ſuę radios largè lateque diffunderet.

Nec minor ſedulo illo, quo ardebat communis ſalutis ſtudio, cura fuit, qua ſēper ſtuduit MARCELLVS ſubiectorū ſibi Populorum inopiæ conſulere. Quis vnquam narrando aſſequi poterit, quanta ille in egenos pretioſa ſubſidia contulerit! Hoc breui nouem annorum ſpatio, quo Purpuratus Antiſtes hanc rexit Eccleſiam, conſtans fama fert, eum ad triginta aureorum millia in pauperes impendiſſe. Quod quidem miraculo ſimile videri merito poterit, ſi redituum eius tenuitas, ſi non exigua auri copia, quam in Ædes vel de nouo conſtruendas, vel vetuſtate collabentes inſtaurandas largiſſimè inſumpſit, intentis animis perpendatur. Quot ille hoc tempore familias ſuis ſūptibus liberaliſſimè iuuit! Quot inopia laborantes Virgines, vel honeſto Matrimonio collocauit, vel eis conſtituta de ſuo congruenti dote, ſacrarum Virginum Collegijs incluſit! Quot Ære alieno grauatos ciues ſua ipſe pecunia redemit! Quot quot occurrerent ſibi inter viam pauperes, ipſe tradita ſuis manibus ſtipe ſolabatur. Quallibet

hebdo-

hebdomada inſtituit, vt publicè Eleemoſina pauperibus vnde vnde confluentibus traderetur; Et ne dum eorum conſulebatur inopiæ, ieiunus abiret animus, edixit, vt eodem tempore ad eorum mores informandos diuinæ Legis Præcepta ab idoneo Miniſtro explicarentur. Quid plura? Eò, Auditores Incredibilis MARCELLI erga Pauperes commiſeratio deuenit, vt cibum à ſua ipſe menſa ſubtraheret, quo eorum aleret famem, laceris ipſe veſtibus vteretur, vt eorum nuda menbra contegeret: Eò deuènit, vt eos poſtrem's Tabulis bonorum ſuorum inſtituerit hæredes, vt releuata, ſi quà fieri poſſet eorum omnium inopia, vnus ipſe omnium Pauperrimus, ideoque iucundiſſime moreretur. O nobiliſſimam Beneficentiſſimi Principis largitatem; qua factum eſt, vt ad alios ex anguſtijs eripiendos ſeſe ipſe in anguſtias rei familiaris redigeret, & in ſe vno amaret, quam in cæteris oderat egeſtatem.

Sed hæc non niſi priuata amantiſſimi Antiſtitis officia videbuntur. Quid referam in publicum collata Regiæ illius Beneficentiæ munera? Quid in ipſum nobiliſſimæ huius Vrbis ſinum profuſa eximiæ Beneuolentiæ argumenta? Mementote, Auditores præteritorum menſium, quibus vicinus armorum ſtrepitus non leuem veſtris animis incuſſerat metum. Quanta fuit amantiſſimi Principis pro communi veſtro periculo ſollicitudo? Ipſe viſus pallere eſt veſtris palloribus, ipſe veſtro timore metuere. Quot congreſſus ad petenda, vel ſuggerenda conſilia indixit! Quot præclaros Nuncios miſit! Quot Epiſtolas prudentiæ, ſolertiæque pleniſſimas dedit! Ipſe validiora officia, ipſe auctoritatem, poteſtatemque ſuam obiecit, vt Patriam hanc veſtram, ſibique chariſſimam à præſenti diſcrimine liberaret. Quid referam effuſam ab eo pecuniam ad nouas vias publico commodo extruendas! Quid impetratos à Summis Pontificibus fauores multiplices! Quid in complures familias, eaſque prænobiles eximia Beneficia collata? Sed breui hac Oratione recenſere non poſſumus, quæ vel plurimis notata calculis, vix poſſumus numerare. Verum tamen ſuperuacaneum eſt Sermone, & lingua MARCELLI Beneficia vlterius eloqui quando parietes ipſi, & muta quãtumuis Ciuitatis huius ſaxa loquuntur.

Intuemini, Auditores, Templum hoc auguſtiſſimum eleganti forma conſtructum, ſectis lapidibus ornatum, ſacris Patronorum Veſtrorum Cineribus illuſtratum. Hic quòcunque ſeſe oculorum veſtrorũ conuertat obtutus, monumenta Beneficentiæ MARCELLI occurrent ampliſſima. Si ſpectare libet hunc Nobiliſſimum Canonicorum

Cætum nouo, ac decoro habitu pro qualibet anni tempeſtate ornatum: MARCELLVS quà officijs, quà Precibus, quà impenſa nõ exigua pecuniæ ſumma obtinuit. Si Sacrarium illud ad Sacras veſtes cuſtodiendas accommodatum, cum ſuperiori Ædium parte ad Canonicorum Congreſſum conuocandum conſpicitis: MARCELLVS deſcripſit, delineauit, ſuiſque ſumptibus penitus conſtruxit. Si parietes damaſcenis veſtibus vndecunque ornatos; Si Aram huius Tẽpli maximam grandioribus ex argento Candelabris, & maiori cruce ditatam; Si pretioſiſſimas ex auro veſtes; Si ſuperius Sacellum, vbi toto Orbe celeberrimæ Diuorum Reliquiæ ſeruantur; Si inferius, vbi diui Ciriaci, aliorumque Sanctorum corpora veneramur argenteis Lipſanothecis, & pretioſis ornamentis aucta proſpicitis MARCELLI Amor, MARCELLI Pietas, MARCELLI incomparabilis Beneficentia extruxit, ornauit, locupletauit O virum æterna memoria digniſſimum, omnibus ſæculis, omnium linguis prædicandum; Cui nunquam moriturum hæc Ciuitas, hic Populus, Clerus hic, omnis denique Ciuium ordo debebit obſequium.

Hæc mecum ipſe dum recolo, Auditores, vix poſſum aduerſæ hodie ſorti non ſuccenſere, quæ Amantiſſimum Antiſtitem, Bononiam leuandi pertinacis morbi cauſâ delatum, ibique vi morbi extinctum, nobis eripuit, pretioſiſſimoque tanti Cadaueris pignore nos priuauit. Ita ne illius exuuijs carebit Ancona, cuius Amorem in tot perennibus Beneficiorum monumentis æternum viuere intuetur? Non poterit ergo Ciuitas hæc tot cumulata fauoribus, tot deuincta Beneficijs Antiſtiti ſuo beneficentiſſimo vltima oſcula figere, vltima lacrymarum ſuarum iuſta perſoluere? Et quid in te vnquam peccauit obſequium noſtrum, Eminentiſſime Princeps, vt tua mereretur in morte grauiſſima hac pœna puniri?

Sed fallor, Auditores, & me meus ipſe dolor inconſultum in hæc verba proripuit. En hodie fidiſſimum ſuauiſſimæ eius erga nos beneuolentiæ teſtem, noſtri Principis Cor. Hoc ille vltimis ſuis tabulis Anconam defferendum indicauit, vt ibi perenniter ſeruaretur, vbi Amorem ille ſuum iamdudum collocauerat. Hoc poſtremum, hoc maximum, hoc verè inæſtimabile Beneuolentiæ MARCELLI argumentum eſt; poſt ſua tot nobis tradita amoris ſigna, ipſum quoque tradidiſſe amoris inſtrumentum, & Beneuolentiæ totius fontem, vt quoties hæc Ciuitas Cor illud cerneret, intelligeret, ſe de mortui ſui Principis adhuc eſſe in corde, quæ illius dum viueret ſemper

fuerat

fuerat in amoribus. Hoc ego dum contemplor fidiſſimæ Beneuolentiæ Pignus, audire mihi videor Amantiſſimum Antiſtitem verbis illis Moralis Philoſophi, at ſenſibus longè melioribus præſentes, futuroſque ſimul Anconæ Ciues alloquentem. Relinquo vobis Imaginē vitæ meæ. Tota MARCELLI Vita, vt hac mea Oratione probare contendi, viuum fuit præclariſsimarum virtutum exemplar: En vobis ſimillimam huius vitæ Imaginem MARCELLI Antiſtitis Cor, vt quoties illud aſpicitis, omnia ab eo vera, & propria Chriſtianæ vitæ officia edifcatis. Uidebitis clariſsimo hoc veluti in ſpeculo immobile illud MARCELLI propoſitum Dei arbitrio ſēper obſequendi, per omnes rerum euentus, & aſpera quæque diſcrimina ad vltimam vſque vitæ metam productum, & conſtantiſsimè ſeruatum. Videbitis ſtudium vigilans, atque intentum, omnia quæcunque ageret, ad purum Dei Placitum, maioremque eius Gloriam dirigendi. Videbitis inctedibilem vim, aſsiduamque curam ad omnes animi motus coercendos, eo ſemper conatu, vt non immeritò imputata huic fuerit prima, ac præcipua cauſa illius diuturni, ac vehementiſsimi, quo poſtremò confectus eſt, morbi. Videbitis eximiam mentis integritatem, demiſsionem animi ſingularem, voluntariam corporis afflictionem; in proſperis moderationem, in aduerſis conſtantiam, in tolerandis, ac remittendis iniurijs generoſitatem, in periculis pro Dei Gloria ſubeundis, & ſuperandis fortitudinem animi penitus interritam, atque inuictam. Quare mirandum nobis non erit, ſi Pontifex ſapientiſsimus INNOCENTIVS Duodecimus, enuncians olim MARCELLVM in ampliſsimo Purpuratorum Patrum Senatu huius Vrbis Antiſtitem, in hæc verba eruperit. Damus Anconæ Epiſcopū Sanctum; ſi tot clariſsimis virtutibus ornatus MARCELLVS, tam ſpirantem, tamque expreſsam Sanctimoniæ Imaginem referebat. Gratulor hodiè veſtræ felicitati Anconitani Ciues, quod in hoc vno MARCELLI Corde, quod tanquam prætioſam hæreditatam ab eius amore obtinuiſtis, præcipuam Sanctitatis eius partem, ſedem videlicet ardentiſsimæ illius Charitatis tam feliciter poſsidetis. Hanc ille erga vos Charitatem, tunc maximè eximiam, & ſingularem comprobauit, quando Bononiæ in vltimo mortis Articulo conſtitutus, poſt commendatam Deo ſuę animæ ſalutem, vobis fauſta omnia precatus eſt, & ſacrę benedictionis ſuæ munera amantiſsimè impertiuit; tunc enim ſatis abundè oſtendit, vos poſt animam ſuam vnicè ſibi cordi eſſe, vos cæteris omnibus, quæ hic haberi, vel deſiderari

rari vnquam poſſunt, ſibi eſſe chariores.

Perge interim, Princeps Glorioſiſsime, perge vrbem hanc tibi chariſſimam nouis in dies cumulare Beneficijs, vt quam tuæ præſentiæ Maieſtate decoraſti, tuarumque Virtutum exemplis ad omnem Pietatem incitaſti, tuo nunc è cœlo, vbi, vt par eſt credere, feliciſsimus regnas, Patrocinio tuearis.

NO.

Digitized by Google